



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ivsti Baronii Veteracastrensis SS. Th. Et I. V. D.
III[ustrissi]mo Arch[iepisco]po Moguntino à Consilijs.
Epistolarvm Sacrarvm Ad Pontificem Max. Et Amplissimos
Cardinales &c. Libri VI**

Baronius, Justus

Mogvntiae, 1605

Epistola IV. Bernhardinvs Pavlinvs S. D. N. Clementis Viii. Pontif. Max.
Datarius Ivsto Baronio Veteracastrensi S.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70614)

314 IVSTI BARONII VETER.

& Spartam isthic assignatam complexus es. Tibi porro gratulor, mihiq; gaudeo, quod omnia Deo fauente, ex animi sententia cesserint, ipseque videris fructum aliquem nostri in te amoris, maximè penes laudatissimos Præsules *Moguntinum*, ac *Herbipolensem*, ad quos scripseramus, quod quidem, vt magis etiam indies experiaris, curabimus libentissimè officiis quibuscunque. Nouimus etenim quantum pietati ac virtuti tuæ insigni debeat. Nunc denique felicitia tibi tuisque omnia in perpetuum precamur à bonorum omnium auctore Deo, Romæ. die XXV. Ianuar. M. DCIII.

EPISTOLA IV.

BERNHARDINVS PAVLINVS
S. D. N. CLEMENTIS VIII. Pontif. Max.

Datarius

IVSTO BARONIO VETERACASTRENSI S.

LEGI libenter litteras tuas. Ita enim amanter scriptæ sunt, vt tuum omnem erga me amorem, quo nihil mihi potest esse carius, effundere videantur. De filio autem tuo, si eandem istam tuam in me animi benevolentiam respexeris, non esse, cur mihi gratias agas, reperies. Omnino hoc velim pro certò habeas, me quidquid illius,
& tui

& tui etiam ipsius iuuandi causa efficere
 potero, id omni tempore promptè ita effe-
 cturum, vt te etiam non minimumà me di-
 ligi intelligas. Benè vale. Deus verò te suis
 magis magisque indies augere benedictio-
 nibus dignetur. Romæ die 3. Martij. M.
 DCIII.

EPISTOLA V.

ILL^{mo} ET REV^{mo} D. CÆSARI BA-
 ronio Sorano S. R. E. Cardi-
 nali

IUSTVS BARONIVS VETÈ-
 racastrensis S.

Ill^{me} & Rev^{me} D^{ne}.

ACCÉPI facultatem S. Inquisitionis Ro-
 manæ, tua mihi opera impetratam,
 pergratam sanè illam mihi, atque antiquis-
 simis exemplis, si de ratione taceam, corre-
 boratam. Ita enim ^a Plàto palam in Legibus ^{a Lib. 7. de}
 suis: Poëta inquit, præter ciuitatis leges & ius- ^{legib.}
 ra, item honesta & bona ne quid composito, &
 quod composuerit, ne cui priuatorum ante o-
 stendere fas esto, quam iudicibus super hac re
 constitutis legum custodibus ostensa ea appro-
 batag. Ita ^b Valerius de Numæ libris: Eos ^{b Val. Max.}
 quia aliqua ex parte ad dissoluendam religio- ^{lib. 1. cap. 10.}
 nem pertinere videbantur, L. Perulius Prætor
 Urb.